

Thes. I.

Cantionum originem hinc ad Angelorum officium, hinc ad naturalem hominum instinctum, hinc ad brutorum animantium exemplum, non male retuleris.

Ex. J.

S. I. **S**unt inter veteris Ecclesiæ Doctores, qui laudes, & carmina, vel omnibus creaturis antiquiora, DEUMque ante mundum conditum seipsum concelebrasse, putent. Quibuscum Cardinalis BONA facit, quum ait ? *DEUS in augustissima illa solitudine, antequam quicquam faceret a principio, se solo gloriosissime beatus seipsum jugiter collaudabat.* (a) Patrem nempe a Filio, Filium a Patre, Spiritum S. ab utroque, & utrumque a Spiritu S. laudatos fuisse, innuit. Et vero cum DEUS etiam in æternitate fuerit *μοναρχικός*, & *μοναρχίον* se esse, cognoverit, nec quisquam etiam magnitudinem majestatis, & gloriæ divinæ, perfectius capiat, vel capere possit, quam DEUS ipse; illa quidem de personarum in DEO mutua celebratione saltem non absurda videtur, idque tanto minus, quod, post conditum hoc universum, non modo a creaturis solennes sibi honores deferri jussit, sed & suas ipsius laudes aliquando, instituta hominum & angelorum panegyri, decantavit. *Exod. XX, 2. sq. XXXIV, 5. Jobi XXXVIII, 2. sq. XXXIX. XL. XLI. Jesh. XLIII, 10. 11. 12. 13. XLIV. seq. XLVIII, 11. 12. 13. sq.* Interim quum in Scripturis nihil de mutua illa personarum concelebratione, minimeque

A 2

meque

(a) de Psalmodia div. cap. 1. pag. 20.